

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio LIV*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

FRIDERICO Kellner

Nossensi Misnico.

*Dominica XXIII. post Trinitatis.*

*A. O. R. cl. l. c. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*  
*schlegelij*



DIVINARUM  
EVANGELICARUM  
CHRISTIANO GUEHNZIO

FRIDERICO RELLIN





ANALYSIS  
 EVANGELII  
 DOMINICA XXIII. POST  
 TRINITATIS.

*Matth. 22. à v. 15. usq. ad 23.*

PRÆFLORAMEN.

**U**cunda sunt verba Apostoli  
 i. Petri 2, 13: *Subditi estote hu-  
 mana ordinationi propter Deum,  
 sive regi, sive ducibus, tanquam  
 ab eo missis ad vindictam malorum, laudem  
 verò bonorum; siquidem, quamvis dicatur  
 ordinatio humana, non ratione efficientis, sed  
 ratione subiecti, quia ex hominibus; ratione  
 obiecti, quia exercetur in homines, & ratione  
 finis, quia hominum commodum promovet,  
 est ab altissimo ordinatus Magistratus, Prov.  
 8, 15. Dan. 2, 21. Et propterea iubentur omnes  
 obedire eidem propter Deum. Id quod in Ev-  
 angelio declaratur uberius.*



## T H E S I S I.

In quo est subdola Sophistarum cavillatio, seu Pharisaeorum adversus Christum consilium; ubi consultatio v. 15. in quo est tum circumstantia temporis: Tunc. *Id est, postquam trina usus fuerat parabola, ad depingendas pœnas ob ingratitude- nem, & communem Evangelii contemptum; quarum duas, nempe alteram de duobus filiis in vineam missis, alteram de vinee plantatione, Evangelista precedenti c. 21. descripsit; tertiam verò de nuptiis regis sub initium huius proposuit. Ut ita denotetur tempus, in simulq; causa impulsiva, dum contra se directas parabolas maximam interpretabantur injuriam, quòd coram omni populo tam liberè ipsos redarguere non fuerit veritus. Quando tamen maximè illos compungi oportuit, ait Chrysoft. hom. 71. in Matth. quando clementiam ipsius admirari debuerunt, quando futurorũ eventus erant expavescendi; quando deniq; de rebus præteritis, etiam de futuris credendum erat. Ut discamus verbum Dei credentibus esse odorem ad vitam, & incredulis fieri odorem ad mortem, 2. Corinth 2. 15. ut enim calx affusa aqua inflammatur, & ignis, quando amplius ligna susceperit, in majorem flammam erigi-*



erigitur; sic animus malus, quando magis veritatem audierit, eo magis ad malitiam excitatur, habet Author imperf. op. hom. 42.

2. Circumstantia loci: abeuntes. Docebat enim in templo Hierosolymitano, Matth. 21, 23. Marc. 11, 27. Hoc est, in atrio templi, in loco publico, in quo omnes Judaei conveniant ad audiendum verbum Dei, & ad preces, Joh. 18, 20. Ingressi itaq; vel in conclave quodam, quale notatur Neh. 10, 39. vel, quod verisimilius, in aulam summi Pontificis, in quales conventus institui solebant, Matth. 26, 57. Marc. 14, 53. Nimirum qui male agit, odit lucem, Joh. 3, 20. & quia Christus abit, sequè ab eis separat inter tot tenebras reperiuntur. Non ergò abeundum à Christo, sed adeundus.

3. Tum res ipsa, ubi partim persona respectu causæ efficientis: Pharisei. Qui, quales fuerint sæpius monitum, qui siquidè soli primum, sed etiam post principes Sacerdotum, Scribarum, & Seniores, uti colligitur ex Marc. 11, 27. Luc. 20, 19. Ideoq; non exclusivè dicitur, sed inclusivè. Pharisei verò nominantur, quia maxime omnium Christo infensi erant, ut qui questionem de censu Casari dando maxime disputarant; ut patet ex Josepho lib. 18. antiq. c. 2. & Eusebio lib. 1. hist. Evang. c. 5.



Ut discamus proceres Ecclesiasticos infensos  
fuisse, & etiamnum, sæpè veritati.

4. Respectu formæ, & internæ  
est modus: consilium cœperunt. Hoc est,  
totis viribus hoc egerunt, in consessu Ecclesia-  
sticorum, & Politicorum votis collectis, quia 1.  
nota illis erat Christi in respondendo dexteri-  
tas, & promptitudo; quia 2. antea sæpè fue-  
rant convicti; ideoq; cogitant aliter aggredien-  
dum. Et quemadmodum ex subsequenti-  
bus patet cum Herodianis. Unde auth. imperf.  
oper. hom. 42. ex eo, quod non dicuntur con-  
sultasse, sed consilium cœpisse, & ex eo quod pa-  
riter cum Herodianis venerunt, apparet, quia  
cum illis ejusmodi circumventionis consilium  
tractaverant. Sic ergo & impii habent sua con-  
silia & concilia, in quibus fabricantur mala;  
unde & malignantium congregationes dicun-  
tuntur, Psalm. 1, 1. & 26. v. 4. Nec enim omnia  
consilia sacra sunt, uti patet ex consilio fratrum  
Josephi, Gen. 27. 20. juvenum Reobami,  
1. Reg. 12. 10. Simeonis & Levi, Gen. 49. 5.  
de quo Chrysostr. hom. 42. quod consum-  
maverint iniquitates suas.

5. Et externæ est scopus, in genere:  
ut illaquearent ipsum. Sunt, habet Alexan-  
drinus l. 1. Stromat. qui funiculos trahunt,  
inquit



inquit scriptura, Esa. 59, 6. & nihil texunt, in-  
 anem laborem plurimum facientes, quem im-  
 posturam & astutiam ipse vocavit Apostolus  
 ad Tit. 1, 10, aptam ad erroris insidias. Scopus  
 igitur consiliorum ab ipso initorum fuit retia  
 ponere, quibus illaquearetur, hoc est ejusmodi  
 questionem proponere, ad quam non nisi  
 cum presentissimo vita sua periculo responsum  
 dare posset. Est enim *παγίς* decipula avium,  
 uti usurpatur, Eccl. 9, 12. Et Syrus per insidias  
 interpretatur. Marcus verò per venari expli-  
 cat. Et isti sunt laquei, quibus etiamnum ho-  
 diè multi sophistæ homines implicant, nulli rei,  
 quæ vera sit, vacantes. Ut discamus malitiam  
 hostium veritatis: quemadmodum enim, ha-  
 bet Chrysostom. hom. 11. si aliquis claudere  
 voluerit aquæ currentis meatum, si una ex  
 parte exclusa fuerit aqua, violentiâ aliunde si-  
 bi semitam rumpit, sic & eorum malignitas ex  
 una parte confusa, aliundè sibi aditum in-  
 venit.

6. In specie; in sermone. Hoc est, ut  
 aliqua proposita questione captiosa ex ore il-  
 lius, ejusq; responsione arriperent, ex quo ca-  
 lumniam ei struerent; quia non poterant in  
 malo opere, & quia facilius homo capitur in  
 verbis, quam in factis, habet Lyra: verba enim



citius trahi possunt in calumniam, quam facta, quia haec manent. Et quamvis Cananea mulier etiam Christum capere voluerit, Matt. 15. 15. tamen factum est ad salutem ipsius propriam, hic ad Christi exitium & perniciem; dum quod Lucas habet, voluerunt eum tradere praesidi. Sic quod per se ipsos, ob metum populi facere non audebant perfidis effectum manibus dare audebant, ait Beda. Ut discamus praeter calliditatem hostium, Christi etiam innocentiam. Unde Hilarius can. 23. in Matth. quia in gesta & dicta eius vitium cadere non poterat, ideo de malitia affectu in omnem inquisitionem experiunda occasionis extendunt. Et tamen nihil efficiunt.

7. Et eorundem deliberata oratio v. 16. in quo partim persona, ratione obiecti: & ad illum. Nempè Christum, quàm illaqueare conabantur. Ut discamus, si Christo contigerit, nec nos posse esse tutos.

8. Et ratione subjecti, ubi piores: mittunt discipulos suos. Quo scilicet insidiae Christo paratae magis occultarentur, quia 1. Pharisei Christo noti, hi verò ignoti, habet Chrysost. hom. 25. imperf. op. 2. ut deprehensa fraude minus erubescerent, neq; enim magni habendum videtur, vinci discipulum

ab



ab exercitatu doctore. Quin si Christum discipuli vincerent, majorem sibi gloriam comparassent. 3. ut eò magis Christo persuaderi possit studio discendi talia proponi. 4. ne populus intelligeret vindictam eos meditari. 5. erant etiam magis, ut solent, audaculi. Unde hom. 42. Chrysof. imperf. operis ait: Magistris suis etate fuerunt minores, malitia vero pares, nam & pulli serpentum statura breviores, veneno aequales sunt, & catuli luporum adhuc teneri constituti, & si venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & moribus ludunt. Syrus eos nominat legisperitos, quia multi ex Phariseis fuerunt, Lucas vocat insidiatores, uti & Diodorus Siculus hanc vocem ita usurpat. Ut discamus collegia conservari non posse, nisi sint discipuli: proceris enim arboribus in horto à vento evulsis, vel senio consumptis novellae plantae sunt subrogandae. Sic Elias & Eliseus habuerunt suos discipulos, ita & Baptista suos.

9. Et comites: cum Herodianis. Qui erant vel aulici, & milites Herodis, uti habet Hieronym. c. 22. in Matth. Chrysof. hom. 7. sicut & Syrus vocat de domo Herodis: qui collectores Caesaripendendorum, Cyrill. l. b. 2. in Ela. 11. servus enim & de dominorum nomi-



nibus appellationem suscipit de jure civili; vel fuerunt sectarii, qui novam quandam religionem fovebant, uti Tertul. l. de præscript. advers. hæreses cap. 45. ait. Et uti à fermento Scribarum & Phariseorum Christus suos discipulos cavere jubet, ita quoque ab Herodis fermento, Marc. 8, 18. Adjungunt verò illos, quia 1. equè Christum oderant, 2. quia astuti; quia 3. voluerunt gratiam Herodis aucupari, & 4. potentia Herodis subnixi erant; denique 5. ut statim ad Herodem deferrent, si quid contra Cæsarem fuisset prolatum. Erant quidem Phariseorum & Herodianorum sententia, in quaestione Christo proponenda contraria, dum Pharisei statuebant non esse dandum Cæsari, quum populum Dei oporteat esse liberum ab omni magistratu extraneo. Herodiani verò censum esse dandum affirmabant. Propterea ergo asciverant Pharisei Herodianos, ut in quamcunque partem Christus respondisset, captus fuisset. Ut discamus adversus Christum conspirare etiam eos, qui alioquin dissident; sic Herodes & Pilatus amici facti, Luc. 23, 12. Pharisei & Sadducei, Matth. 16, 1. Sunt veluti vulpes Samsonis, quæ licet capitibus dissentiant, caudis tamen conveniunt, Iud. 15, 4. Accolonus Dei nescit patrocinium dare de criminibus.



nibus. Sic & isti Christum expugnare cupientes convenienter non ad servos Dei, viros religiosos, sed ad gentiles, hoc est, Herodianos se contulerunt. Quale est consilium, tales & consiliatores.

10. Partim est forma, in genere: dicentes. Hoc enim non ad ablegatos pertinet, sed ad ipsos Phariseos, qui instruxerant, & informarent quomodo agere debeant discipuli ablegati.

11. In specie est salutatio sive honoris præfatio, desumpta à dignitate: Magister. Vel præceptor, uti Syrus interpretatur, quia constat ex historia, cum primis ex Ioh. 13, 13. Apostolos & reliquos fideles solitos fuisse Christum appellare, Præceptorem ut simulant arte se talem asserere quæstionē, cujus solutio præceptorum suorum captum excedat. Unde istum vocant præceptorem, quasi velint discere. Alias Ioh. 9, 28. se Moysis, non Christi discipulos esse asserunt. Ideoq; commendant, quem horrent, habet Simon de Cassia lib. 11, c. 51. Laudant quem fugiunt, proferunt quæ non credunt. Unde Chrysostr. hom. 71. in Matth. Nunc honoratis & magistrum appellatis; quando verò de salute vestra disputat, contumeliamini & despiciatis.



12. Et laudatio per declarationem ab accidente, respectu veritatis : scimus quòd verax sis. Nempè in doctrina, hoc est, quòd rectè dicis & doces. Quamvis etiam August. in Psalm. 57. legat & exponat, quòd justus, ut intelligatur veritas in opere, quemadmodum & Nicodemus dicebat, Joh. 3. 42. Hec verò confessio non proficiscebatur ex animo, sed nascebatur duntaxat in ore, contrarium enim asserunt Ioh. 9, 29. scimus quòd Moysi & per Moysen Deus sic locutus hunc autem nescimus unde fiet. Ut discamus suaviloquentiam improborum, qui ornant mendacium blandiloquentia, & in aureo flosculo venenum miscent, uti loquitur Pelusioti lib. 4. epist. 67. Interim observa hic & vera infideliter dici posse, & non vera fide. Qui enim sic credit uti loquitur, etsi non vera loquitur, fideliter loquitur, qui autem non credit, quæ loquitur, etsi vera loquitur, habet Augustin. epist. 135. Et hæc est prima hypocritarum simulatio, quod laudant, quos perdere volunt.

13. Et ab effectis respectu doctrinæ: & viam Dei in veritate doces. Quia viam Dei rectè doces, uti Lucas coniungit. Hoc est, sive in privatis locis aliquem informes, sive in publico semper sectaris veritatem. Et per vi-



am Dei voluntas inielligenda in verbo patefa-  
 Et metaphorice, secundum quam Deus vult  
 homines vivere, uti usurpatur Exod. 32, 8. Di-  
 citur autem via Dei, quia 1. à Deo monstrata;  
 Et quia 2. ad Deum ducit, Et 3. quia est Deo  
 grata Et accepta. Unde vocatur via, quam Do-  
 minus elegit, Psalm. 25, 12. via bona, 1. Sam. 12,  
 23. via recta, Act. 13, 10. via sapientia, Prov.  
 4. 17. via salutis, Act. 16, 17. Syrus habet vo-  
 cem kuschath, quæ non solum veritatem, sed  
 etiam integritatem significat. Ut intelligas  
 Christum nihil subterfugere, quo omne consi-  
 lium Dei doceat, Act. 20, 27. Ut discamus li-  
 cet veritatem semper inimici persequantur,  
 tamen ex omnipotenti sapientia Dei fit, ut ini-  
 mici Dei fiant testes veritatis, Et sua eam lin-  
 gua predicent, habet Chrylost. hom. 58. in  
 Genes. Amemus itaq; charitatem in veritate,  
 uti monet Paulus Ephes. 4, 28. quo conserve-  
 mus bonam conscientiam, 1. Cor. 4, 2.

14. Et respectu constantia: neq; curas  
 quenquam. Hoc est, non laboras sollicitè, quo  
 minus alios offendas, nec occultas veritatem  
 ex prepostero potentia Et periculorum metu, ut  
 appareat iustitia; nihilq; dicis in gratiam He-  
 rodis Et Pilati, uti habet Theophylactus.  
 Ut discamus nullius personam esse respicien-  
 dam.



*dam, rectè enim faciendo neminem timere possumus in officio nostro, quo contra id agamus.*

15. Et per rationem ab effectu, petitam negativè; non enim respicis personam. *Hoc est, non habes delectum & respectum personæ, ut in gratiam huius vel illius quid doceas. Qualia requisita omninò requiruntur in omni potissimùm doctore & concionatore; ut sint veraces, 2. Corinth. 4, 2. viam in veritate doceant, 1. Timoth. 3, 2. ut non sint fratres ignorantie, Tit. 1, 9. rectè doceant, 2. Timoth. 2, 15. non curent homines, Gal. 1, 18. Sic Christus hic veritatem dixit magistratui; sic Baptista adversus Herodem, Matth. 14, 4. Et quamvis hi legati ex animo talia non proferrant, eadem tamen Christo verè competebant, & naturam veri doctoris exhibent. Vnde Ardentius inquit: non ex corde, sed ex dolo, sic magisterium Christi laudant, & tamen sufficienter describunt magisterii perfectionem. In his quippe quatuor magistri perfectio continetur; ut sit purus in vita ad exemplum, verax in doctrina ad erudiendum, ut non sit ei cura de aliquo, ne sit acceptor personarum, sed fratres mei, addit, pauci tenent hodie magisterii perfectionem.*

16. Partim est admiranda Christi declina-



clinatio sive colloquium; ubi tum Phari-  
sæorum de censu dando interrogatio v. 17.  
in quo in genere postulatum respectu illo-  
rum; dic ergò nobis. *Tanquam magister,*  
*quemadmodum fraudulentè ita ipsum appel-*  
*laverant, ut ostenderent, quare & missi fue-*  
*rint, & insimul quare ipsum laudaverint.*

17. Respectu Christi: quid tibi vide-  
tur? *Dicit Chrysoft. hom. 71. in Matth. non*  
*dicunt; dicas quid legitimum nobis, quid bo-*  
*num, quid laudabile, sed quid tibi videtur;*  
*quia sic solummodo illud ipsis fuit propositum,*  
*quomodo presenti principatui, hostem esse*  
*ostenderent, & principi tanquam seditiosum*  
*traderent.*

18. In specie, interrogatum, affirma-  
tivè ab effecto: licetne censum dare? *Erat*  
*enim hæc questio in populo Judaico tunc tem-*  
*poris maximè controversa, nimis periculosa;*  
*ubi tamè eorū rationes occultantur, quæ petita*  
*à contrario videlicet à lege divina prohibente;*  
*ideoq; quærunt an licitum sit? quasi dicerent,*  
*quicquid lege divina prohibitum est, illud*  
*meritò non est licitum; at qui prohibitum est*  
*extraneo magistratui subijci, Deut. 15, 15. Ro-*  
*mani erant autem alieni.*

19. Ab objecto: Cæsari. *Ubi quidem*  
Hiero-



Hieronym. h. l. non esse proprium, sed appellativum: monet tamen non absurde colligitur, quod ipsa appellatione ad statum Caesaris simul respexerint, quem fuerit Ethnicus magistratus, idolatra, parricida, Imperii decoctor, omnium flagitiorum artifex, gula mancipium, uti Tiberius fuit, qui tum rerum potiebatur, Luc. 3, 1. Unde etiam pro Claudio Tiberio Nerone dicebatur, Caldus Biberius Mero, à præceptore Godareo lutum sanguine maceratum; unde ipsis cum equitate pugnare videbatur, quod persolutione census oppressio pietatis & honestatis promoveretur, cum Cæsares aliàs non solum ordinarium tributum à Judæis exigerent, sed etiam vectigalia publicanis elocarent. Ideoq; querunt; an liceat extorquenti per publicanos quodcumq; collubitum, nec contento tributis ordinariis solvere quippiam. Deniq; etiam propterea, quia Cæsar censum poscat, non quidem quasi siculum sacrum peteret, siquidem siculum sanctuarii à Pontifice Hierosolymitano colligebatur, etiam Romæ, uti exorat. Cic. pro Flac. apparet, & ex lib. 7. de bell. jud. c. 13. Josephi. Et propterea, cum præter oblationem primitiarum, decimarum, primogenitorum, sacrificiorum quotidianorum, tum spontaneas, tum definitas lege divinâ ho-

stias



stias siclum dimidium penderent, grave & iniquum ipsis videbatur Casari insuper tributum dare.

20. Et negativè : Annon ? Sufficere quidem potuisset, si questionem tantum formassent, sed non tantum querere de jure, verum etiam an suadeat, ut unà consilium ab ipso petant, atq; prohibitionem dandi eliciant. Ut discamus quanta sit malitia Diaboli, qui per organa sua à dextris & sinistris per fraudem & violentiam pugnat : idem serpens directus & tortuosus, Esa. 27, 1. dicitur, simulq; posterum hominum studium in avertendis publicis calamitatibus, cum de causis earum de medio tollendis, interim parum sunt solliciti. Habebant quidem promissiones, sed erant conditionate, quamdiu obtemperarent voci Dei, Deut. 28, 1. & seq. Etiam ut discamus homines ut plurimum tergiversari in solvendis consibus & stipendiis.

21. Et Christi responsio, cujus antecedens est gravis hostium castigatio v. 18. in quo causa impulsiva : cognita autem malitia eorum. Seu simulationem dicas ; uti Marcus habet cap. 12, 15. seu calliditatem Luc. v. 13. pessima erat malitia, dum data opera non ex ignorantia interrogarunt. Interim

cogi-



cogita, quod illo, quo animo ipsum interrogarunt, circumveniri Deus nō potest, nec astutia aliqua fallente illudi, habet Cyprian. de laps. serm. 5. ut cognoscatur καὶ περὶ ὧν ὄντων: potuisset quidem Christus responsum denegare, propterea quia Praeceptores ipsorum non voluerunt respondere ipsi. Et quia ista erant politica potius quàm Theologica; interim tamen cum mentes ipsorum cognoscit, non declinat responsum, quæ prima virtus est respondentis, uti habet Hierō. in c. 21. Matt. Ut discamus, quòd sit omniscius, qui corda hostium intropicit, id quod solius Dei proprium est, 1. Reg. 8. 39. Jer. 17. 10.

22. Tum est materia, quæ majoris emphaseos gratia interrogatione Rhetorica figuratur in genere, quoad modum: quid me tentatis? Atq; ita non respondet ad blandimenta verborum, sed ad figmenta cordium. Et describit in hac redargutione, cum ipsorum indolem Et scopum. Tentare enim significat rei alicujus incertæ vel ignotæ experimentum capere, aliquid explorare, ut in notitiam perducatur, quasi diceret per questionem captiosam meam scientiam explorare vultis, non ut eam cognoscatis, sed ut aliquid sciatis, quòd in calumniã possitis rapere, sicq; non discipulos, sed tentatores, vocat.



23. In specie, quoad titulum: Hypocritæ. Hypocrita autem appellatur, qui aliud simulat ore, aliud opere agit, aliud voce præterdit. Syrus reddidit acceptores vultus, qui facies assumunt, sive larvas induunt, ut aliter appareant, quam sint. Et quidem rectè ita appellavit, dum ipsum veracem appellitant, ut ad poenitentiam ipsos invitaret. Unde auth. imperf. oper. hom. 42. Pharisei blandiebantur, ut perderent, Jesus confrendebat, ut salvaret, quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius. Ut discamus non attendenda esse verba, sed mentem ne blanditiis verborum capiamur.

24. Et in numisma inquisitio, ubi ejus demonstratio v. 18. in quo mandatum: ostendite mihi numisma census. Quia sapientia semper sapienter agit, ut suis potissimum sermonibus tentatores confutentur, hoc dixit, habet Hieronymus. Provocarunt enim ad census libertatem; ideoq; etiam postulat, non quidem simpliciter, numisma, sed numisma census, quod census loco offerre populum judaicum oportebat. Et quidem, uti habet Marcus & Lucas, subiecit etiam speciem monete, nempe denarium: nam alius siclus sanctuarii apud illos in usu erat, in cuius parte una thuribulum,



ribulum, in altera verò virga Aaronis conspici-  
 ebatur, qui etiam quotannis in usum templi  
 viruim persolvebatur, dum jus sub Grecis re-  
 gium cudendi monetam retinebant, Marc. 15,  
 6. Uti & in historia Evangelica denariorum  
 fit mentio, quæ erat moneta Judaica, Matt. 18,  
 28. & drachma. Luc. 15, 8. Ideoq; Christus nu-  
 misma census sibi exhiberi iubet, & illud mo-  
 netæ genus, quo census exsolvebatur, qui, uti  
 Suidas definit & Hesychius, erat capitatio-  
 nis, & propriè denarius minor, pondus drach-  
 mæ fere exæquans, uti habet Budæus lib. 2. de  
 asse ex Plinio. & fuit pars septima uncia, se-  
 cundū Robertum Sahalem lib. de mensuris  
 & pond. nempe dimidia parte minor siclo, non  
 enim erat aureus, sed argenteus, uti memorat  
 Plinius l. 32. c. 3. Et forsas Herodes duplicatū  
 censum, uti solent Præfecti, exegit, alterum pro  
 Cesare, alterum pro se siquidē Christus Math.  
 17, 25. didrachmā solvit. Ut colligamus Chri-  
 stum etiam pecuniā in manum sumsisse, ne quis  
 arbitretur a versatū fuisse; nam divitiæ, inquit  
 Ambros. in Luc. 19. l. 8. uti impedimenta sunt  
 improbis, ita adjumenta virtutum sunt bonis.

25. Et ipsorum officium paratum; at  
 illi obtulerunt ei denarium. Qui propriè  
 erat census, ab ipsisq; cudebatur, tanquam no-  
 ta ser-



ea servitutis, ut vel ex ipso posset colligi illos non fuisse liberum populum. Ut discamus ad malitiosas questiones prudenter esse respondendum; & observandum illud, ut simus prudentes tanquam serpentes, ne decipiamur, & simplices ut columba, ne decipiamus.

26. Et inscriptionis investigatio v. 19. in quo partim est interrogatio, de picturae cujus est imago? Solebant verò, & etiamnum solent illi, qui ius cudenda moneta habent, praeter inscriptiones etiam curare quasdam imagines insculpi, ad demonstrandam & probandam potestatem & jurisdictionem, cum hoc ius inter regalia, secundum jura feudalia referatur. Et quamvis hic non addatur, qualis fuerit imago: facile tamen colligitur, fuisse ipsius Caesaris eo tempore regnantis: quia illo ipso tempore inde ab annis 18. Romanum Imperium administrabat; & quia, quando nomen Caesaris absolutè ponitur, intelligitur, qui rerum potitur ut plurimum, uti Luc. 23, 2. Johan. 19, 12. Act. 17, 7. 25, 10. Inde discitur Christum non aversatum imagines.

27. Partim de scriptura: & superscriptio. Quia hisce duobus forma absolvitur moneta. Triplici verò de causa querit: 1. ut eos, qui in sermone ipsum venerant captatum,



ex propria eorum confessione ipsos magis confunderet, ut habet Chrysoſt. hom. 71. in Matth. Qui verò putant Salvatoris interrogationem ignorantiam eſſe, & non diſpenſationem, diſcant ex præſenti loco, quod utiq; potuit ſcire, cuius imago eſſet in nummo, qui abſconditam nequitiam videbat: ſed interrogat, ut ad ſermonem eorum competenter reſponderet. 2. etiam ut cœleſtia non terrena tractare oſtenderet, quemvdm modum fecit Luc. 12, 14. in hereditatis diſiſione, ut 3. miniſtros verbi ſuo exemplo inſtrueret, quod terrenorum regnorum adminiſtrationi ſeſe minimè immiſcere debeant.

28. Conſequens eſt Chriſti deciſio, quæ eſt unicuique quod ſuum eſt aſſignatio v. 21. in quo eſt reſpectu legatorum reſponſio: dicunt ei Cæſaris. Neq; enim poterant aliter, quia denarius erat inſcriptus & notatus imagine Cæſaris. Ut diſcamus adverſus captioſos interrogatores, & ad callidos verborum captatores exemplum eſſe datum, quo capiantur ipſi, qui capere alium volebant in ſermone, & ex propria interrogantium confessione confundantur.

29. Reſpectu Chriſti eſt conclusio: quoad temporalia, ubi præmittitur determinatio

tio



tio conclusionis: tunc ait illis. Ubi particula  
temporalis determinat ipsam, postquam eā ex  
proprio adversariorū ore deduxit, decisionem.

Idq̄, ex imagine & nomine Caesaris prestitit.

30. In genere: reddite. Ergo & hunc red-  
dite tanquam redhostimentum debitum pro  
eximiis beneficiis, quæ Deus per Caesarem in  
vos confert; Non autem dixit, date, sed red-  
dite, inquit Chrysostr. hom. 7. Debitum igitur  
est, habet Theophyl. in Luc. 20. Redde igi-  
tur debitum, custodit & te princeps tuus ab ho-  
stibus, vitam tuam pacatam facit; debes itaq̄  
illi pro his tributum, etiam ipsum, quem pro-  
fers nummum, ab ipso habes. Igitur cum nu-  
mismā illi reddis, interim tibi lucraris, quod  
per ipsum, quæ vitæ debita sunt, præstantur  
Et iudæi ipsimet Romanorum societatem ex-  
petierant, fœdusq̄ cum ipsis pepigerant. Et ne  
sit in nostro arbitrio, in imperativo ponitur:  
quia 1. in membro posteriore etiam sumitur in  
imperativo: & 2. quia semper hoc verbum  
ἀποδοῦν in imperativo sumitur, Rom. 13. 7.  
Apoc. 8. 6. 3. quia particula igitur hoc innuit,  
dum concluditur; etiam 4. Syrus per impera-  
tivum reddidit.

31. In specie ratione subiecti, ratione  
materiæ: quæ sunt Cæsaris. Atq̄, ita ratio de-



mirum à relato. Et 1. quidem de dandis Cesari  
 ait: Non quòd ea, quæ Cesari danda sunt po-  
 riora illis quæ Deo; sed quia de dando Cesari  
 mota fuerat quæstio. Ita ergò illà primò deter-  
 minare voluit; & 2. quia proximo prius dan-  
 dum, ut qui nobis notus. 1. Joh, 4, 20. Debetur  
 verò Cesari census honoris, Rom. 13. 1. qui ex-  
 hibendus in exteriori reverentia & compari-  
 tione civili, uti fecit Jacobus Gen. 28. 4. & Na-  
 than 1. Reg. 1, 13. in filiali timore & amore, uti  
 Joab, 2. Sam. 14, 4. Inde inquit Tertul. lib. ad  
 Scap. c. 2. Colimus Imperatorē sic, quomodo &  
 vobis licet, & in si expedit, ut hominē & a Deo  
 secundum, solo Deo minorem. 2. dandus est  
 census precationis, 1. Tim. 2, 1. ita Jeremias ju-  
 bet Jerem. 29, 7. orare, Saulis subditi, 1. Sam.  
 10, 24. Satapra regis, Dan. 3, 9. Darii Satrapæ,  
 Dan. 6, 6. Unde Tertull. in apol. c. 30. oramus  
 semper pro imperatoribus vitam illis prolixā,  
 imperium securum, domum tutam, exercitus  
 fortes, senatum fidelem, populum probum, orbē  
 quietum, & quæcunq; hominis & Cesaris vota  
 sunt, precantes. Dandus 3. ipsi census exsecutio-  
 nis, Rō. 13, 1. 1. Pet. 2, 13. ita fecerunt servi Da-  
 vidis, 2. Sam, 15, 13. Gadite, Jos. 2, 16. Non ser-  
 vili metu, inquit Gregorius Magnus l. 35.  
 c. 19. moral. sed charitatis affectu, non timore  
 pœnæ,



paena, sed amore iustitiae. Dandus 4. census contributionis, Rom. 13, 7. ut fecit Christus, Matth. 17, 27. Si quis ergo putat, habet August. in explicat. propos. ex epist. ad Rom. propos. 72. quoniam Christianus es, non tibi vectigal esse reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem iis, quae haec curant, potestatibus, si statuis in magno errore versaris.

32. Et ratione objecti, ratione personae: Cæsari. Per quem intelligitur primario Tiberio, tum temporis regnans, secundario vero omnis Magistratus, Caesar namque Monarcha orbis est, & sub una personâ omnem Magistratum comprehendit. Neque intelligitur solus beneficus, sed & durus. 1. Petr. 2, 15. nam & illorum quoque potestas à Domino est, quia regnum datum in furore, Os. 13, 12. & pueriles principes, & effœminatos, Esa. 3, 4. ob populi peccata regnare facit, etiâ hypocritam, Job. 34, 30. Sic Deus dat regnum terrenum & piis & impiis, sicut ipsi placet, etsi occultis causis, nunquid iniustus? ait August. lib. 5. de civit. Dei c. 21. Debemus itaque obedire propter Dominum, 1. Petr. 2, 14. propter conscientiam, Rom. 15, 15. propter poenitentiam, Rom. 16, 34.

33. Quoad spiritualia, ratione materiae.



quæ sunt Dei. Potuisset quidem Christus dato responso Pharisæorum discipulos dimittere, sed addit etiam alterum, non quasi imago DEI fuerit in altera parte, sed ut tacite interrogantium objectioni occurreret. Si Casari debemus censum dare, non poterimus siculum templi dare. Imò verò, inquit Christus, & potestis, & debetis Casari dare, quod est Casaris, & Deo, quod est Dei. Ut ostenderet subiectionem erga Magistratum non pugnare cum pietate & religione, sed ut moneret debitum Magistratibus præstitum certos habere limites & terminos, quia Deus etiam habet suum, nempe censum cordis, ut ipsum diligamus, censum lingue, ut ipsum glorificemus, censum aurium, ut ipsius verbum audiamus, censum cultus divini, ut sacra faciamus, censum vite, ut pie vivamus, censum denique omnium, que habemus, quia omnia à Deo accepimus, 1. Cor. 4, 7.

34. Et ratione objecti seu personæ: Deo. Querit enim Casar, inquit Aug. in Psal. 57. imaginem suam, reddite dicit; querit Deus imaginem suam, reddite addit. Non perdet Casar ex vobis omnibus nummum suum; non perdet Deus in vobis nummum suum. Dedit tibi mentem, inquit Theophyl. in Luc. 20. illam redde ei iuxta mentem operans: dedit tibi



tibi rationem, redde illi eam, ne fias brutis insipientibus similis, sed facias omnia, ut rationalis. Et in summa, dedit tibi animam & corpus: omnia redde ei, & imaginem suam restitue ei, per fidem, per spem, perq; charitatem incedens. Et Fulgentius ait, term. de verbis Micheæ Prophetæ: indicabo tibi. O homo, sicut imaginem suam Cesari reddis in nummo, sic redde Deo suam imaginem in te ipso. Redde justam, non iniquam, redde humilem non superbam. Non avaritiam turpem, non rapacitatem deformem, non vitio iracundia leuem, non terrenâ dilectione protritam, non livore sordidam, non fornicatione pollutam; sed prudentia pondere integram, fidei veritate mundam, & bonis moribus atq; operibus splendidam.

35. Et adversariorum admiratio v. 22. In quo tempus: & his auditis. Ita solutum est dilemma non tantum, verum etiam preceptum, quo utrumq; maneat: idq; audiverant præter omnem opinionem & spem.

36. Et effectus, in præsentia: mirati sunt. Quia tam prudenter & circumspedè responderat, ut non possent eum capere in sermone, aut ipsum illaqueare. Unde Hieronym. l. 3. in c. 22, quia credere debuerant ad tan-



tam sapientiam mirati sunt quod calliditas eorum insidiandi locum non invenisset. Sic hi insidiatores Christi adversus seipsos cuncta fabricati sunt. Ut discamus nullum esse consilium & sapientiam adversus Dominum, Prov. 21, 36. Non est captus, inquit August. tract. 23 in Joh. cui tendebatur, sed potius illi capti sunt, qui laqueos tendebant, quia in eum, qui posset eos à laqueis erigere, non credebant.

37. Consequens: & emissio eo abierunt. Quia nec capere, nec vincere poterant, ita coram presente populo confusi erant, hanc confusionem sustinere diutius volebant, ideo abeunt, metuentes, ne à Christo ipsis vicissim proponeretur quaestio, ex qua ipsorum confusio auferetur. Ut discamus, inquit Orig. c. 21. in Matth. quòd si quando tentati fuerimus ab eis, qui volunt occasionem, & proponunt nobis quasdam propositiones, non ut discant, sed ut causam accusationis inveniant contra nos, neq; tacere debemus, neq; simpliciter respondere, sed circumspectè, ut quantum possibile omnino fuerit, praecidamus occasionem quarentium in nobis occasionem, & doceamus irreprehensibiliter salvare volentes salvari. Stultitia enim facta sapientia hujus mundi: putans enim se sapere,



*pere, inventa est imprudens, ait Ambros. in  
I. Corinth. II.*



## N O T A.

### I.

**P**harisæorum discipuli ) Considera  
*quod sit ingenium improborum homi-  
num malos sibi adsciscere; ut discas ex  
sociis noscere hominem.*

### II.

**Q**uid me tentatis ) Considera Do-  
*minum non abblandiri adulatori-  
bus; ut discas non admirari favores hu-  
manos.*

### III.

**D**ate Cæsari, quæ sunt Cæsaris )  
*Considera præponi hic Cæsarem; ut  
discas hominem obedire Deo non posse,  
qui rebellis est magistratui.*

CASUS



## CASUS I.

An salva conscientia debita ordinaria, quæ tempore belli propter exactiones nimias solvi non poterunt, sint vi exigenda?

**V**idetur: 1. Quia dandum uti Deo, ita & Cesari, quæ debentur, Matth. 22, 21.

2. Jura non nisi solutione liberari debitorem decernunt l. solutam, 49. ff. de solut.

3. Experientia testatur exigi sine ulla relaxatione: at consuetudo habetur pro lege, l. 33. ff. de Ll.

Non videtur: 1. Quia quæ non sunt Cesaris seu Magistratus, ea non sunt solvenda. At talia non sunt, dum aliis solvitur, qui vel vi auferunt, vel loco illius auferunt absente ordinario Magistratu. Quicumq; enim non prestat tutelam, ei etiam tutelæ seu protectionis nomine nihil debetur, arg. l. legatum, C. de condit. uti



uti nec militi, qui non militat, dum captivus, stipendium solvendū, l. 1. Bartol. C. de re milit.

2. Jura hoc probant: praestatur enim tributum, quia Magistratus tenetur conservare subditos in pace & quiete l. ager. §. stipend. ff. de V. S. l. cui stipendia. C. de procurat & in authent. C. de mandat. principum & publicorum stipendiorum. & in l. nemo. in fin. C. de exact. trib.

3. Exempla ostendunt. Ita rex Theodoricus in Gallia fecit Arelatensibus, dum scripsit, uti testatur Cassiod. lib. 3. epist. 32. constat fidelium non perire servitia, sed in tristibus impensa recipere in meliore fortuna. Arelatensibus itaque, qui obsidionis penuriam pertulerunt, & per indictionem quartam fiscalia tributa nostra relaxat humanitas, ut futuro tempore ad solitam redeant functionem. Et lib. 4. epist. 36. inquit: prudentissimi Principis est graviter imminutis relinquere tributariam functionem, ut redi vivis studiis ad im-  
plen-




*implenda solennia recreentur, qui pressi  
damnatorum acerbitate defecerant.*

4. *Quia etiam creditor tenetur de-  
bitori ad paupertatem redacto remittere  
aliquid. Hutter. L. Com. p. 108). Mar-  
quardus de Sufanis tract. de Jud. &  
Usur. p. 101.*

*Ad contraria: 1. Fall. cause: dan-  
dum quidem, sed quod debetur. Hoc au-  
tem non debetur, quod alius jam preripuit.*

*Ad 2. Fall. conseq. in mutuo hoc  
valet, non in pensionibus.*

*Ad 3. Consuetudo etiam tyrannis.  
Unde si contra jus naturale aut ledens ul-  
io modo rem publ. est tollenda. 32. q. 7. c.  
flagitia.*



## CASUS II.

**An Clerici seu doctores Eccle-  
siarum & Scholarum sint extra-  
ordinariis contributio-  
nibus onerandi?**

*Vide.*



**V**idetur: 1. Quia dandum Casari,  
Matth. 22, 21).

2. Quia jura in casu necessitatis ne-  
minem excipiunt. Rolan. à Valle lib. 3.  
conf. 80. n. 23. Natta conf. 275. n. 4. R.  
Imperii Spir. 1544. §. nehmlich sollen.  
Ratisb. 1576. §. und nachdem. Bocer.  
de coll. c. 6. n. 13.

*Contra*: 1. Deus Levitis in V. T.  
privilegium dedit, ut ipsi decimas sume-  
rent: & hoc in loco monetur, ut DEO red-  
datur etiam suum.

2. Jura privilegia concedunt. Auth.  
C. ne filius pro patre ait: Medicos & ma-  
ximè Archiatros, Grammaticos & Pro-  
fessores, alios literatos & Doctores legum  
unà cum uxoribus & filiis, nec non & re-  
bus, quas in civitatibus possident, ab omni  
functione, ab omnibus oneribus vel civi-  
libus vel publicis immunes esse precipi-  
mus; & neq; in provincia hospites recipe-  
re, nec ullo fungi munere, nec ad judicium  
deduci, nec eximi vel exhiberi, vel injuri-  
am pa-



*ampati : ut si quis eos vexaverit, pœna arbitrio iudicis plectatur. Mercedem etiam & salaria eis reddi jubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant.*

*Ad 1. Fall. cons. Omnino dandum, sed videndum à quibus. Christus nihil dedit, nisi voluntario Cesari, ut nec ejus discipuli. Et alia ratio ubi Ethnicus Magistratus, alia ubi Christianus.*

*Ad 2. Fall. Conseq. In casu necessitatis absoluta & summa, qui nondum probatus, ubi nec dum Senatores contribuunt, ait Carpzov. lib. 4. Respons. tit. 10. R. 75. n. 29. & seqq. Et si princeps alicui hoc privilegium concessit, ex suo arario remissam collectam depromere tenetur. Cacher. decis. 95. num. 12. & Roll. à Valle cons. 76. n. 5. & 6. volum. 2. Capitatio autem sublata est in Romano Imperio à Constantino I. uni. C. de capitat. civi censibus eximenda, ubi inquit: plebs minimè in censibus pro capitazione sua conveniatur: sed juxta hanc jussionem immunis habeatur.*





**I**N cellis latitare solent, quicumq; dolosos  
Disponunt laqueos, insidiasq; struunt.  
Sic Pharisæa cohors abiens, consultat

**IESUM,**

Ut propriis verbis illaqueare queat.

Discipulos mittunt, sociant Herodis, &  
ajunt:

Es verax doctor, respicis ipse nihil.

Ergò dic nobis, quidnã tibi quæso videtur?

Cæsar vult censum, solvere numme licet?

Hic horum quum cognosset fraudesq; do-  
losq;

Ec cur me tentas subdola turba? rogat.

Euge numisma mihi census ostendite,  
dixit.

Tunc citò denari forte dedere genus.

Hocce videns illis ait: est inscriptio cujus?

Cernitur in nummo cujus imago simul?

Cæsaris esse ferunt. Dicit: quæ Cæsaris, illa

Reddite, quæq; Dei, reddite, quæso, Deo.

Hoc ut inaudierant istud mirantur acumẽ,

Ipsum linquentes, ac abiẽre domum.

*Quis*



Quis stupor effigiem cognoscere Caesaris?  
at non

Scire Panomphæo debita ferre Deo.  
Census ei debetur, amor, reverentia, cultus:  
Omni: at huic animam debet huicq;  
fidem.

Talia KILNERUS repetit. KELLNERUS  
at ista

In cælis cellas, præstet! habere potest.  
restatur

GUEINZIUS.

\*\*\*\*\*

RESPONDENTI

to Bnegatien!

**O** Primus is promus, condusque fidelis  
habetur,

Qui cunctas Domini ritè ministrat opes.  
Qui Vetus atq; Novum de CELLA promit, ut  
inde

Principibus census detur, honorq; DEO.  
Qui pietatis amans Sparsæ data pensa tuetur,  
DIVITIAS promet de locuplete penu.

Hoc dote, ipsa Salus: repetit KELLNERUS:  
at idem

Hoc sciens promus condus eritq; bonus.

vocebam sincerè

M. Frid. Cahlenus P. Cesar.  
Gymn. Corrector.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017





EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TIARUM  
LICARUM  
*titio LIV*  
ESIDE  
O GUEINZIO  
ii Hallensis  
ctore  
*ndente*  
CO Kellner  
i Misnico.  
*II. post Trinitatis.*  
b. bc. III.  
SAXONUM  
*Melchioris Oel-*  
*legely*

